

8.41.20

*Idem AA. et CC. Aurelio.*

Sententia bonorum omnium ademptionem continente rei damnati principalis intercessores eligendi creditori potestas non adimitur.

[a. 293]

8.41.21

*Idem AA. et CC. Iuliano.*

Sicut eligendi fideiussores creditor habet potestatem, ita intercessorem postulantem cedi sibi hypothecae sive pignori obligata iure non prius ad solutionem, nisi mandata super hac re fuerit persecutio, convenit urgueri.

*S. XI k. Nov. AA. consss.*

[a. 293]

8.41.22

*Idem AA. et CC. Hermiano.*

Si ultra hoc, quod accepit ea, pro qua te mandatorio nomine intercessisse commoraras, daturum te scripsisti, praeses provinciae ex hoc, quod ultra mandatum tuum numeratum est, a te nihil exigi patietur.

*S. XII k. Mai. CC. consss.*

[a. 294]

8.41.23

*Idem AA. et CC. Antipatro.*

Reos principales vel mandatores simpliciter acceptos eligere vel pro parte convenire vel, satis non faciente contra quem egeras primo, post ad alium reverti, cum nullus de his electione liberetur, licet.

*S. non. Dec. Nicomediae CC. consss.*

[a. 294]

8.41.24

*Idem et CC. Pergamio.*

Fideiussoris quidem heres exemplo rei principalis tenetur, sed si idem utrisque succedat, intercessionis obligatione finita vellit principalis tantum debitoris heres conveniri potest.

*S. XI k. Ian. CC. consss.*

[a. 294]